


A. LAURENTIUS

De Scriptura sacra.


Hafniæ 1589.












BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

ASSERTIONES DE SCRIPTVRA SACRA, IN DISPVTATIONEM AB ANDREA LAVRENTIO: *munere verò respondentis defungente* SEVERINO PETRI F. *ad 4. diem Nouemb: Anni 79. propositæ.*



HAFNIAE

Imprimebat Andreas Gutterwitz.

ANNO

M. D. LXXIX.

862

ASSERTIONES DE SACRA SCRIPTVRA.

I.

SVmmus conditi, atq; deinceps redempti hominis finis est noticia & gloria Dei. Matth: 5. Sic luceat lux vestra. 1. Corinth: 10. Omnia in gloriam Dei facite. Iohan: 17. Hæc est vita æterna, vt te solum cognoscant verùm Deum, & quem misisti Iesum Christum.

II. Sed vera cognoscendi & glorificandi Dei ratio ex scriptura discenda est. Psal: 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. Ezech: 33. In præceptis meis ambulate.

III. Scripturæ ergò aßidua & diligente auscultatione, lectione, & meditatione opus est. 1. Timoth: 4. Attende lectioni.

IIII. Quæ quidem vt nobis commendatior, & quanta eius dignitas, & præstantia sit intelligi poßit: de ipsa paucis disseremus.

V. Etsi autem vocabuli scripturæ vel scripturarum varius sit vsus: tamen hîc à nobis pro scripto illo, quod Prophetæ, & alij in tabulas retulerunt, vsurpabitur.

VI. Hæc significatio ex vitæ communis vsu petita est: in more enim positum est, principes & magnos viros ea, quæ rata & firma esse velint, monumentis literarum mandare. Exod: 17. Scribe hoc ad monumentum libro isto.

VII. Epitheton sacra vel sancta (vtrumq; enim vsurpatur. Rom: 1 & 2. Timoth. 3.) διακριτικῶς ponitur.

VIII. Discernit enim hoc scriptum ab alijs omnibus, quæ humani ingenij acumine & sagacitate inuenta & perpolita sunt.

Est

IX. Est ergo sacra scriptura instrumentum seu tabulæ, quibus diuinitus per certos homines expressa & consignata est doctrina de essentia & voluntate Dei: de homine, quomodo lapsus & reus æternæ mortis factus ob peccatum, poßit Christi beneficio æternas pœnas euadere, & æternam beatitudinem assequi: vt Dei sapientia, potentia, iusticia & bonitas, in omnem æternitatem celebrentur.

X. Efficiens causa scripturæ est ipse Deus, qui hanc doctrinam primis parentibus eorumq́ successoribus subinde patefactam sui spiritus afflatu illustrauit. 2. Pet: 1. Sancti Dei homines acti à Spiritu Dei loquuti sunt. 2. Timoth: 3. Tota scriptura diuinitus inspirata, &c.

XI. Instrumentalis, sunt eius descriptores, & veluti exceptores, vt Moses, Eleazarus, Samuel, aliјq́ Prophetæ, Euangelistæ, & Apostoli.

XII. Materia & obiectum præcipuum est ipse Deus & homo, cuius quadruplex status, innocentiæ nimirum, peccati, gratiæ, & gloriæ nobis in verbo Dei proponitur.

XIII. Finis, vt credamus quod Iesus sit Christus, & credentes vitam habeamus æternam. Iohan: 20.

XIIII. Effecta varia enumerantur. Psal: 19. vt puros reddere: animam famelicam & sitientem reficere: testari de voluntate Dei, & ipsius operibus, eorumq́ memoriam conseruare: sapientem ex imperito reddere: ad metam immortalitatis rectum iter monstrare: Corda exhilarare: rebus difficilibus, & supra rationis humanæ intellectum positis, lucem afferre: animos hominum vero Dei timore imbuere: docere quæ bona, quæue mala, quid faciendum, quidue omittendum hominibus sit.

XV. Paulus Rom: 15. doctrinam & consolationem scripturis tribuit: Quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, &c. 2. Timoth: 3. doctrinæ addit redargutionem, correctionem, & institutionem.

XVI. Pugnantia sunt, 1. Omnia scripta quæ sacris literis aduersantur: vt hæreticorum & fanaticorum omnium. 2. Eorum iactantia, qui se adeò cœlestes & sublimes esse gloriantur, vt se sacris literis minimè indigere existiment: infirmis tantum & paruulis eas datas. 3. Eorum stulticia, qui, amissis sacris literis, se veri cultus Dei & synceræ Religionis rationem ex Philosophorum scholis restituere posse arrogantissimè iactitant. 4. Omnis interpretatio quæ fidei analoga non est.

XVII. Porro libri qui diuinam illam & cœlestem sapientiam continent, etsi vno volumine compræhensi sint: tamen minimé sunt eiusdem fidei & paris autoritatis omnes.

XVIII. Alij enim Canonici (Epiphanius ῥυτὰσ, βίϐλυσ, καὶ ἐνδιαθέτυσ. id est certos, & quasi in vno quodam corpore dispositos appellat) vocantur: quod ad eos, tanquam amussim & regulam, structura spiritualis ædificij formanda & aptanda sit, & errores ad eandem normam corrigendi & examinandi: quemadmodum Actor: 17. scribitur generosiores, qui Thessalonicæ habitarunt, fecisse.

XIX. De his libris præclarè dictum est ab Hieronymo: Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis libris prodita est: Contra quam, si quid statuant concilia, nefas duco.

XX. Alij verò Apocryphi vulgo dicuntur, id est, occulti: propterea quod Ecclesiæ non fuerunt traditi cum certa spiritus Dei testificatione, vt in arca Ecclesiæ ἀρχ-τιωα conderentur, & palam ex eis doceretur Ecclesia.

Cæterum

XXI. Cæterum quinam Canonici, quiq; Apocryphi veteri & puriori Ecclesiæ habiti fuerint, docet Eusebius, Hieronymus, veterumq; alij nonnulli, quos quidem sequi tutius fuerit: quam illos, qui nullos libros, qui in sacro volumine, continentur, ex Canone censent excludendos.

XXII. Rectè igitur in serijs disputationibus suspectæ fidei libri, vt Iudith, Tobias, Syrach, Maccab. & alij reyciuntur.

XXIII. Quàm autem difficile sit in tot fluctibus, & dubitationum procellis, quibus hominum fides tantum non obruitur, constanter assentiri scripturæ sacræ, nimis multi sunt, qui experiuntur.

XXIIII. Vt enim Euam primam parentem nostram Diabolus, iniecta de veritate verbi Dei dubitatione, euertit: ita etiam alios, quos euersos cupiat, eadem aggreditur machina.

XXV. Quare vt fides & assensio nostra de scripti verbi certitudine, & autoritate confirmaretur, antiquitas erudita prudenter collegit gradus quosdam testimoniorum: quibus animi conuicti, scripturis sacris fidem adhiberent.

XXVI. Eorum testimoniorum duplex genus est, externum nimirum, & internum, de quibus pauca.

XXVII. Externum vocatur quod in sensus incurrit, cuius partes seu gradus sunt septem.

XXVIII. 1. Patefactio, qua Deus ex arcana sede procedens, se voluntatemq; suam hominibus patefecit, vt primis parentibus, Noe, Abrahæ, Isaac, Iacob, Mosi, &c. quibus verbum suum commendauit & tradidit.

XXIX. 2. Miracula, id est, extra ordinaria quædam opera, quæ sunt solius naturæ omnipotentis propria: vt anus fœcun-

datio: solis cursus inhibitio & repreßio: mortuorum excitatio, & id genus alia.

XXX. 3. Antiquitas ipsa: nulla enim est antiquior Religio, quam ea, quæ Mosis scriptis compræhensa est: quemadmodum Chronologiæ ratio euidenter ostendit: Huc pertinet illud Tertuliani: Antiquißimum quodq; verißimum.

XXXI. 4. Prophetiarum completio: vt Mosis & aliorum de Christi æterno regno: de Monarchiarum serie, incremento & decremento, &c.

XXXII. 5. Consensio in doctrina, & cultu DEI, qui omnibus temporibus iam inde vsq; à mundi ortu, idem extitit: quamuis non semper eadem doctrinæ lux fuerit.

XXXIII. Nam Patrum, & Patriarcharum obscurius: Prophetarum vero clarius: Christi demum & Apostolorum concionibus clarißimè tradita, & explicata est.

XXXIIII. 6. Diuturna huius libri inter tot imperiorum ruinas & fatales mutationes (etsi multi sæui Tyranni, vt Domitianus, Antiochus & alij illum abolere conati sint) conseruatio & possesßio.

XXXV. 7. Tot Martyrum cruenta mors: de quibus est vetus illud: Martyrum sanguis, est seges Ecclesiæ.

XXXVI. Internum testimonium est quod per spiritum Dei cordibus hominum imprimitur, qui nos longè efficacißimè confirmat. 1. Corinth: 2. Nobis Deus eà per spiritum suum reuelauit.

XXXVII. His & alijs testimonijs conuicti, repudiatis Enthusiastarum delirijs, qui homines à lectione sacrorum librorum auocare conantur, constanter assentiamur scripturæ sacræ,

quæ

quæ non ab hominibus, vel Ecclesia: sed ab ipso Deo autoritatem habet suam.

XXXVIII. Illud etiam, vt verißimum amplectimur, authenticis libris sacris omnia Christianæ fidei dogmata, partim expreßé, partim verò non expreßé: sed necessaria consequentia, plenißimè compræhensa esse.

XXXIX. Quod hoc Pauli testimonio verum esse probari potest. Omnis scriptura diuinitus tradita, vtilis est ad doctrinam, & obiurgationem, & ad correctionem ad institutionem in iusticia, vt perfectus sit homo Dei, & ad omne bonum opus, paratus. 2. Timoth: 3.

XL. Etsi autem scriptura, quod quidem ad fundamentum attinet, certa & minimè obscura sit: tamen cum rudes non vbiq; eam intelligant, commonefaciendi erunt voce interpretum, cuius rei ergô institutum est ministerium docendi, in Ecclesijs & Scholis.

XLI. Boni autem interpretis officia sunt, commonefacere auditores, de genere sermonis: de vero rerum ordine: doctrinæ vsum in exhortatione, consolatione & institutione ostendere: esse testem veræ sententiæ: & refutare interpretationes, & corruptelas à fundamento ipso dissentientes.

XLII. Epiphanius hanc interpretandi rationem, ad quatuor partes αἴσθησιν nimirum θεωρίαν, ἀλληγορίαν καὶ παράδοσιν reuocat.

XLIII. αἴσθησιν vocat illum sensum, quem voces ipsæ, primo intuitu, præ se ferunt: vel experientiam, quæ verborum significationem declarat: θεωρίαν collationem verborum, definitiones, diuisiones, ratiocinationem. Quæ duo alij vocant sensum histori-

hiſtoricum: ἀλληγορία, *verò adhibenda erit, cum verba propriè accepta, gignunt abſurditatem aliquam*: παράδοσιν *appellat veteris & purioris Eccleſiæ teſtimonium: quod extat in monumentis Eccleſiaſticorum: ſcriptorum Græcorum & Latinorum.*

XLIIII. *Quos qui legere volet, multum iuuabitur libello D: Philip: Melanth: de Eccleſia ſcripto.*

XLV. *Hæc interpretandi ſcientia, non eſt alligata ordinariæ ſucceſſioni perſonarum: ſed eſt donum in Eccleſia, quod Deus dat, cui vult: Iohan: 14. Spiritus ſanctus docebit vos omnia. Pſal: 119. Da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua. Et Paulus Epheſ: 3. & Colloſ: 1. optat Eccleſijs ſpiritum illuminationis.*



